

Ec. respondit, Episcopos successores, superveniente rationabili causa, posse etiam ex officio iterum examinare tam in visitatione, quam extra, Parochos, quamvis Regulares approbatos tempore provisionis Parochialium. De hac ipsa materia videri potest nostra Instit. 9. Latina editionis. Comperta verò per novi examinis experimentum Parochi insoctia & imperitia, locum habere debet sacri Tridentini Concilii decretum, quod extat cap. 6. sess. 21. de reform. ubi statuitur, ut Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, hujusmodi Parochis illiteratis & imperitis Coadutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare possint.

XXII. In hujus capituli complementum nihil remanet aliud, quam pauca quædam referre, quæ pertinent ad subjiciendos iterato examini Sacerdotes sive Seculares, sive Regulares, quibus facultas excipiendi sacramentalis Fidelium Confessiones ad certum determinatum tempus data fuit. Etenim Episcopi, & Ordinarii jure meritoque contendunt, eo determinato tempore elapso, ex. gr. completo anno, ad quem aliquibus facultatem audiendi secularium Confessiones imperiti fuerant, posse se iterum ad examen eos revocare, & novum de eorum doctrina periculum facere; contra verò obniti, & conqueri solent de hac re Sacerdotes, præsertim Regulares. In hac materia videri potest nostra Instit. 86. in qua Apostolicas Constitutiones retulimus, quibus tribuitur, & asseritur Episcopis hæc facultas, qua, licet contra clamitent Regulares, spoliari non possunt. Excipiendus est tamen casus, quo potestas audiendi secularium Confessiones aliquibus Regularibus, prævio examine, per eosdem Episcopos

concessa fuerit sine ulla temporis limitatione. Tunc enim illis sic approbatis concessam potestatem adimere, aut suspendere nequeunt; nisi fortè contraria aliqua supervenerit causa, & quidem ad ipsas sacramentales Confessiones pertinet, juxta Innocentii X. Constitutionem, quæ incipit: *Cum sicut accepimus*; de qua Nos ipsi mentionem fecimus in nostra Constitutione, super Anglicanis Missionibus edita, cujus initium est *Apostolicum ministerium* num 9. data die 30. Maji 1753, cui, si Deo placuerit, locus erit in tom. 4. nostri Bullarii.

XXIII. Aliquando etiam Episcopi in suis relationibus questi sunt de Ecclesiasticis Dioecesis suæ, quod proprii status dignitatem indecoris, viliusque ministeriis, & muneribus fœdent, eaque addant, quæ seculares ipsos maximè dedecent. Quibus aliud remedium suaderi, aliudve consilium præberi non potest, quam ut contra delinquentes utantur jure suo *ad trames sacrorum canonum*, sicuti etiam legitur in Constitutione Innocentii XIII. quæ incipit *Apostolici ministerii*, quam ejus Successor Benedictus XIII. postea confirmavit, quæque pro Ecclesiasticæ disciplinæ in Regnis Hispaniarum conservatione edita fuit. Aliæ præterea sunt Ecclesiasticorum actiones, de quibus Sanctam Sedem consulere in suis relationibus studiosi & vigilantes Episcopi non omiserunt; de quibus in sequenti capite agemus.

CAPUT X.

In quo subsequitur tractatio de Tertia Parte relationis status Ecclesie.

Cum olim ex veteris officii nostri debito percurreremus relationes status Ecclesiarum, quæ ab Episcopis trans-

tibus casibus, quod peculiari animadversio ne expendatur.

IV. Si quis adhuc laicus physicum egit, vel etiam chirurgum, dummodo suam ipse artem optimè noverit, omnemque diligentiam ac studium juxta artis præcepta adhibuerit in agris curandis, licet eorum aliquis è vivis excesserit, nulla, si strictæ canonum censuræ insistere velimus, irregularitate innodatur: „Tandem physici, „vel chirurgi, si periti sint in arte, „& nihil omiserunt de contingentibus, & habuerint super hoc sanam „conscientiam, poterunt promoveri, „si causa eorum aliquid in homine „contigerit:” sunt verba S. Petri Cælestini in suo Opusc. 7. part. 4. sect. 1. cap. 3. tom. 25. Biblioth. Patr. cap. 822. Attamen constat, in hac ipsa facti specie à Congregationibus, & Secretaria Brevium quasdam dispensationes, quas vocant *ad cautelam*, concedi consuevisse; vel quia hi, qui medicam artem exercuerunt, subindeque ad sacros Ordines promoveri exoptant, licet nullius certæ culpæ meminerint, quæ ipsorum conscientiam perturbet, cum tamen certò non sciant, semper se usos fuisse omnibus ab arte præscriptis regulis ad expellendum morbum, qui ægrotum interemit; sibi tutius consulere cupientes, rescriptum, vel Breve dispensationis ab irregularitate *ad cautelam* satagunt obtinere; vel quia non desunt cautiores Episcopi, qui renunt manus imponere medicam artem professis, nisi aliquid proferant hujusmodi dispensationis Breve, seu rescriptum, verentur enim, ne physicus in tanta curationum frequentia quandoque aliquid, quamvis præter animum, deliquerit. Verum, cum talia rescripta, vel Brevia, non consueverint indulgeri, nisi prius audito Episcopo, cui ea cura mandatur, ut

distinctè referat casus omnes animadversione dignos, eorumque peculiare circumstantias, insimulque exponat, quoniam consilio orator ad Ordines sacros promoveri exposcat; quisque facile intelligere potest, hisce omnibus sedulo præmissis, si quid minus rectum consequatur, illud minimè adscribendum esse Brevibus, vel Congregationum rescriptis, sed parùm accuratæ relationi ab eo transmissæ, qui cum investigare omnia, ac referre deberet, aliqua tamen prætermisit, quæ si perspecta fuissent, concessionem Brevis, vel rescripti moram impedimentumque injecissent; ved saltem adscribendum esse humanæ imbecillitati, quæ aliorum fraudibus & machinationibus nimis est obnoxia.

V. Sermonem nunc convertentes ad eos, qui quam antea exercuerant, medicam artem etiam post susceptos Ordines profiteri volunt, præmittendum ducimus, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, vetitam haud fuisse artis medicæ exercitationem iis, qui in sacris Ordinibus constituti essent. *Salutat vos Lucas medicus*, legitur in epist. ad Coloss. c. 4. v. 14. Sanius ac receptior opinio vult, ibi ab Apostolo designari S. Lucam Evangelistam, huncque egisse medicum, etiam postquam ad Sacerdotalem gradum conscenderat. In Vita S. Juvenalis Narniensis Episcopi, apud Bollandistas, dicitur ille ex Africa Romam accessisse *Presbyter arte medicus*. Testatur Rufinus lib. 10. c. 30. S. Eusebium Episcopum Vercellensem, post Alexandrinum Concilium, Orientem, atque Italiam peragrassè, quo in itinere *medici pariter, & Sacerdotis fungebatur officio*. Ad veterem hunc morem eò magis comprobandum eruditi viri utuntur quoque binis Theodoretii epistolis, quarum altera est 114 altera 115, ad Apellam,

quibus commendatur Petrus Sacerdos, qui hanc artem, medicam scilicet, cum ratione tractat, & hanc morbis exornat. Denique inter Edessenæ Ecclesiæ Clericos, qui decimæ actioni Chalcedonensis Concilii in causa Ibae subscripserunt, alter sic subscriptus legitur: *Sabas Diaconus, qui dicitur medicus*. Verum, quia subinde Ecclesia; justis ac urgentibus de causis, interdendum censuit Monachis, & majorum Ordinum Clericis, medicæ artis exercitium, uti videre est *can. 6. Concilii Remensis habiti sub Innocentio II. anno 1131. & can. 9. Concilii Lateranensis eodem sedente Pontifice celebrati anno 1139. in Collectione Labbeana tom. 10. col. 984. & col. 1004.* hæcque disciplina constabatur fuit ab Alexandro III. in cap. *Non magnopere*, & ab Honorio III. in cap. *Super specula, ne Clerici, vel Monachi*, ac denique protracta fuit ad Clericos quoque minoribus tantum Ordinibus initiatos, sed Ecclesiasticum Beneficium possidentes; hinc sequitur, necessarium nunc esse his omnibus Apostolicum Indultum, ut mendi artem valeant exercere. Quapropter omni prorsus destituitur fundamento eruditus conatus Agnani, Regii physici in Gallia, qui anno 1696. Tractatum typis edidit, Gallico idiomate conscriptum, cui titulus *Presbyter Medicus*, in quod illud sibi probandum assumit, nihil esse tam congruum, quam quòd medicus semper sit Sacerdos, vel Monachus.

VI. Quodlibet dispensationis Indultum, indole quadam sua, duo hæc requirit: justam videlicet causam, hujusque legitimam probationem; ut & Superior tuta conscientia imploratam auctoritatem suam præstare possit, & orator obtento dispensationis beneficio uti valeat. Itaque, cum res est de secularibus Clericis, sacris Ordinibus in-

sig-

signitis, qui artis medicæ exercendæ facultatem implorant, pro obtinendæ dispensationis causa plerumque afferunt, civitatem, oppidum, vel pagum, in quibus Clericus artem profiteri cupit, destitui penitus seculari medico, facultate hujusmodi satis instructo; vel si qui fortè adsint laici medici, ad eum tamen numerum dicuntur non pertinere, qui agris in civitate, oppido, vel pago curandis sufficiat. Est & alia legitimæ dispensationis causa, desumpta ex Clerici, ipsiusque familiæ egestate, quæ non nisi honesto lucro, ex arte Medica percipiendo, levare possit.

VII. Si autem sermo sit de Regularibus, animadvertimus primò, Summos Pontifices nonnulla artis medicæ exercendæ privilegia concessisse Regularibus in Missionarios al legatis, propterea quòd fuerit experientia satis compertum, ceteri id plurimum ad ampliore faustumque Missionum progressum. Inspiciatur Constitutio Clementis X. cui initium *Cum sicut dilectus*, tom. 7. Bull. nov. Rom. pag. 37. & altera Clementis XII. incipiens *Cum sit*, tom. 14. ejusdem Bull. Hujusmodi vero facultates Regularibus Missionariis tributæ, omnino exercendæ sunt ad normam Decreti Congregationis de Propaganda Fide; quo insequentibus providæ conditiones recensentur: «Ut videlicet Missionarius sit in arte medicæ peritus; ut eam gratis exerceat; ut absque incisione, & adusionem operetur; ut in loco, ubi Missionarius degit, non sint medici, & chirurgi laici, vel sint hæretici, aut hebræi.» Quod verò spectat ad eos Regulares, qui ex Instituti sui ratione, hospitalium curam, & administrationem obtinent, cujusmodi sunt ii, qui Regulam S. Joannis de Deo profitentur; illud præmonendum est, facultatem exercendi medicinam extra hospitalia eorum curæ regimini subjec-

ta, ab Apostolica Sede tantummodo concedi posse; cum concedendæ auctoritatem Apostolicis Nuntiis, & Superioribus Regularibus ademerit Urbanus VIII. uti videre est in ejus Constitutione relata in Bull. prædictæ Religionis pag. 227. & pag. 242. Ut autem in eum finem cum præfatis Regularibus dispensetur, una hæc subesse potest justa causa; quod nimirum in civitate, oppido, vel pago, is laicorum medicorum numerus non habeatur, qui ad ferendam agrotorum indigentis opem necessarius videatur. Si enim ponamus, plures in aliqua civitate adesse medicos, suam artem probè callentes, qui credat, unum aliquem, & quidem Religiosi Ordinis Professorem, tante præ cæteris excellentia præstantem ibidem existere, ut medicæ artis exercitium ipsi interdiceret, in publicum vergat populorum incommodum? Diximus, casum hujusmodi vix credendum videri posse; autamen Ordericus Vitalis ad annum 1059. de Radulpho Monacho hæc habet: *Ut in Grammatica, & Dialectica, in Astronomia quoque nobiliter eruditus est, & Musica. Physicæ quoque scientiam tam copiosè habuit, ut in Urbe Salermitana, ubi maximæ medicorum scholæ ab antiquo tempore habentur, neminem in medicinali arte, præter quamdam sapientem matronam, sibi parum inveniret.* In duabus S. Bernardi epistolis 67. nimirum, & 68. quæ inscriptæ sunt Monachis Faviacensibus, agitur de quodam Monacho, qui è coenobio aufererat, propterea quòd Abbas eum sæpè sæpius extra monasterium ad ægros curandos dimittebat, eaque ratione ipsum à Regularis Instituti observantia abstrahebat: «Abbas meus habebat me, non Monachum sed medicum. Cogebat servire, immò ipse serviebat per me, non Deo, sed

» 586-

»saculo, quando ne secularium malevolentiam incurreret Principum, »mederi me compellebat." Hæc leguntur in epistola 67. In subsequenti verò epistola 68. postquam idem Sanctus retulerat, huiusmodi factum ab Abbate pernegari, hisce verbis concludit: »Ipsam, qui hoc dixit, falsitate arguitis. Si mentitus sit, nescimus; ipse viderit. Sed hoc scimus, »quia, sive per se ipsum, ut vos fatemini, sive per vos, ut ipse testatur, hoc fecerit, in magno interim »periculo fuerit."

VIII. Neque verò Clericis, & Monachis illimitata, ac arbitraria conceditur artis medicæ exercendæ facultas, sed in ipsis Iadulti litteris nonnullæ satis providæ conditiones apponuntur. Et primò quidem in omnibus dispensationum litteris conditionalia hæc verba inscribuntur; medicinam scilicet exercendam *absque incisione, & adustione*; quæ verba desumpta sunt ex Decretali Innocentii III. *in cap. Sententiam, ne Clerici, vel Monachi.* Cum verò Indultum Clerico Seculari, majoribus Ordinibus insignito, in eum finem conceditur, ut propriam, familiæque suæ inopiam levare possit, in litteris clausula hæc apponitur: videlicet, indultum eoque vim habiturum, quousque orator certos Ecclesiasticos redditus, vel residentiale Beneficium fuerit assecutus. Olim altera quoque clausula insertabatur huiusmodi Brevibus, & rescriptis, qua vetabatur medico Ecclesiastico quidquam vel à sponte offerentibus accipere. At quia evidens suberat periculum, ne huiusmodi præceptum infringere, & quia insuper clausula ipsa minimè congruere videbatur dispensationibus illis, quæ Clerico conceduntur, ut sibi, & indigentibus familiæ possit consulere; ideo, illa sublata, mitior altera invecata est,

qua Ecclesiastico medico prohibetur quidem, ne quid exposcat, ad integrum ipsi relinquitur spontè oblata recipere, præterquam si à vero egeno offerantur; neque enim ei permittitur quicquam à veris pauperibus, quantumvis spontè offerentibus, accipere. Dispensationis denique litteris, quæ ad Regularium favorem expediuntur, ea semper inest modificativa clausula, ut nihil penitus ab ipsis recipiatur, sed artis subsidia infirmis per eos gratis omnino exhibeantur.

IX. Cum, & Indultorum causas, & conditiones, quibus illa circumscribuntur, & temperantur, recensuerimus; reliquum est, ut de probationibus disseramus, quæ ad verificandas causas in precibus expressas requiruntur. Quicumque sit orator Ecclesiasticus, Secularis, vel Regularis, nunquam oblata præces obsignantur, vel Breve expeditur, priusquam Episcopus retulerit de viri peritia in arte medica, deque civitatis, opidi, vel loci, ejusdem medicam operam exposcentis, non affectata indigentia. Quinimò, si Ecclesiasticus in Ordine Religioso professus sit, Superioris Regularis præterea relatio requiritur circa mores illius subditi extra hospitalia Religionis medicum agere cupientis; utque præterea constet, quod utrique muneri, medendi scilicet ægrotis in hospitalibus Religionis languentibus, aliisque extra degentibus, possit cumulata satisfacere. Quod si quandoquæ maxima locorum distantia, vel urgens allegata necessitas efficiat, ut non expectata Ordinarii relatione, rescriptum expediatur, vel Breve dispensationis transmittatur illa tamen, unâ cum universo negotio, ad Ordinarium diriguntur in forma, quam vocat, commissaria; ita ut ad illum pertineat sedulo explorare, an causæ in supplici libello expositæ veri-

tati innitantur: si autem minus verè reperiantur, ab obtentæ gratiæ executione absteineat; perspecta quippè est protestatio Alexandri III. Pontificis in Decretali: *Si quando, de rescriptis*, cui Successores Pontifices semper adhererunt, & adhærent: *Patienter sustinebimus, si non fecerimus, quid prava nobis fuerit insinuatione suggestum.*

X. Rebus autem sic se habentibus, si etiam malo fato contingat, Ecclesiasticum aliquem, non satis in arte peritum, agris curandis operam suam præstare, vel medicum se exhibere aliquo in loco, sufficienti medicorum laicalium copia non destituto, vel denique, obtento Indulto pro eo loco, in quo laicorum professorum copia non aderat, ad alium locum transire illorum numero redundantem; facile quisque intelliget, huiusmodi abusus nequaquam potuisse, vel posse referri in eum, qui Indultum exercendæ artis concesserit, sed ei adscribendos esse, qui vel incuria & negligentia, vel alia de causa id fieri passus est, ac patitur, quod ne fieret, pro viribus debuisset, ac deberet obistere.

XI. Chirurgiæ verò exercitium longè difficilius Ecclesiasticis permittitur; huiusmodi enim Indultum Seculari, vel Regulari Clerico tunc tantummodo concedi consuevit, cum nullus omnino adest in loco laicus chirurgiæ professor, qui incolis illius opera indigentibus præstare esse possit; tuncque insuper, ad avertendum irregularitatis periculum, in rescripto, vel Brevi inscribitur ut plurimum clausula: *citra incisionem, vel adustionem.* Celebris planè est Decretalis Innocentii III. *in cap. Tua nos, de homicidio*, in qua irregularitatem contraxisse declaratur Monachus, qui cum artem optimè calleret, eamque, non spe lucri, sed Christianæ charitatis affectu exerceret,

tumorem, qui in mulieris gutture excreverat, ferro secuti, simulque eam monuit, ne se aperto aëri exponeret; quod quidem præceptum quia mulier transgressa est, dum, ut segetes colligeret, ventorum inclementiam perpessa fuit, ex hac vita decessit: *Nos igitur Fraternitati tuæ respondemus, quod licet ipse Monachus multum deliquerit, alienum officium usurpando, quod sibi minimè congruebat, si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reprobandus, quod non, post satisfactionem condignam, cum eo misericorditer agi possit, ut Divina valeat celebrare; alioquin interdicens est ei Sacerdotalis Ordinis executio de rigore.*

XII. Medicam, & chirurgicam artem subsequitur advocacionis officium, quod in tribunalibus profitentur Ecclesiastici, sacris Ordinibus insigniti, in vim rescriptorum, & Brevium, quæ concedi consueverunt, & ex quibus ingens asseritur abusus series in eversionem canonicæ disciplinæ profluere. Conquestio tamen nullo fundamento innitur; tum quia perexiguus est huiusmodi rescriptorum, & Brevium numerus; tum quia, si de rescriptis agitur, hæc quidem non aliis clausulis verbisque contexta sunt, quam quæ in canonicis sanctionibus habentur; adeo ut dici potius mereantur declarationes eorum, quæ à sacris canonibus hac de re constituta reperiuntur, quam Juris Canonici relaxationes. Enim verò neque rescripta, neque Brevia Monachis umquam, aut Canonicis Regularibus conceduntur; quod planè consonum est Decretali Clerici, alterique *ex parte tua, de postulando.* Seculari autem Clerico minorum Or-

dinum, etiam Beneficiato, item Subdiacono, immò & Sacerdoti, Jus ipsum Canonicum permittit, ut se advocatos in tribunalibus quidem Ecclesiasticis liberè exhibeant; in laicalibus verò, & coram seculari Judice, si causa ibidem agitanda propriam ipsorum, vel Ecclesiæ, cui præsent, aut cui adscripti sunt, vel denique misserabilium personarum rem utilitatemque respiciat; quemadmodum legere est in *cit. cap. Clerici, & in cap. Cum Sacerdotis, de postulando*, recteque expendit etiam Fagnanus in *cap. Magnus, num. 2. de obligatis ad ratiocin.* Cum ergo in rescriptis prædicati casus tantummodò exprimentur, clarè patet, per hujusmodi Indulta, Ecclesiasticis secularibus facultatem fieri advocacionem exercendi in iis facti speciebus, in quibus sacri canones hoc ipsis indulserunt. Optimè novimus, studium Juris Civilis videri posse non omninò decere Ecclesiasticum, sacris præsertim Ordinibus insignitum; & tamen, sedulò hoc studio non præmisso, neminem posse re ipsa fieri, & agere advocatum. Verùm extrinseca hæc civilis studii cum Ecclesiastica vitæ instituto repugnantia evanescit, si perpendatur, tam arctam nostro hoc tempore inter Jus Canonicum, & Civile intercedere connexionem, eaque ita sese mutuò adjuvare, ut qui optimè primum nosse cupit, alterius scientiam sibi comparare debeat. De hac coherentia à Nobis actum est *superiori lib. 9. cap. 10. & seq.* Mabillonius de studiis monasticis disserens, quoad Juris Canonici cum Civili consonantiam hæc habet *part. 2. cap. 5. num. 3. Monachos parùm decet hujusmodi studium. Præterea ipsis à S. Basilio interdicitur in epistola ad S. Gregorium, sicut etiam ab Alexand. III. Pontifice Maximo, præter alios, qui omittuntur. Quod tamen de iis videtur intelligendum, qui id expressè profiten-*

tur; secus verò respectu illorum, qui Legum, vel institutionum universalem dumtaxat ideam sibi comparare cupiunt, ut inde ad Jus Canonicum percipiendum facilius se introducere valeant, vel etiam ut ad rectè judicandum de variis, quæ contingunt, actionibus disponantur ingenia. Quod appositè Petrus Blesensis, animadvertit, inquit: Bonum est scire Leges, sed non ad quæstum, non ad iniquum Juris compendium, sed ad inquisitionem veritatis, & judicii æquitatem. Plurima etiam in Theodosii, ac Justiniani Codicibus extant, quorum scientia Superiores maxime decet. Dominus Gothofredi notæ in Theodosianum Codicem eruditionum copia undiquè scatent. Quæ hactenus dicta sunt, ad Congregationum rescripta pertinent. Fatemur, in Brevibus paulò liberalius agi. Sacerdoti enim seculari, qui scientiæ, & Juris peritiæ famam sibi comparavit, indulgetur ut in tribunalibus etiam laicalibus possit tam civiles, quam criminales causas agere, prout advocati laici solent, dummodò in criminalibus judiciis ad defensionem tantummodò scribat, & agat; nec ei interdicitur, quin laborum præmium possit exposcere; supperadditur tamen, eosque advocacionis exercitium eidem permitti, quousque certos Ecclesiasticos redditus in congruam sustentationem, aut Beneficium residentiale fuerit assecutus. Unde patet, dispensationem in hunc finem ipsi concedi, ut habeat unde honestum sibi victum valeat comparare. Quapropter, si Sacerdoti, vel ex patrimonialibus bonis, vel ex fructibus Beneficiorum, ac Pensionum, quas fortè celasset, congrua suppetent alimenta; noverint Episcopi, ablatam sibi non fuisse auctoritatem interdicens hujusmodi Sacerdoti, ne concessis in Brevi facultatibus utatur; quod quidem tunc etiam locum haberet, cum

cum Sacerdos ita in advocati muneribus versaretur, ut offensionis & scandali occasionem cæteris exhiberet. Rebus autem sic in suo lumine constitutis, difficile admodum videtur, in illis quidquam reprehensione dignum posse inveniri.

XIII. Affirmare quidem non possumus, non legisse in relationibus status Ecclesiæ querelam ullam adversus resignationes Beneficiorum, animarum curam, vel onus residentiæ, & Choralis servitii adnexum habentium, quæ in favorem certæ personæ fieri, & admitti consueverunt, sicuti nec quemquam Episcoporum conqueri legimus de coadjutoriis cum futura successione, quæ fiunt non solum de Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam de Parochiis, Canonicatibus, aliisque inferioribus Beneficiis; negare tamen non possumus, quin ore tenus sæpè jactari audiverimus hujusmodi querelas, easque etiam invenerimus penes aliquem auctorem exscriptas. Nec enim desunt qui contendunt, per hujusmodi resignationes, & coadjutorias, repleti dioceses Sacerdotibus, & Ministris parùm idoneis, eisdemque esse sacris canonibus, & Concilio Tridentino contrarias. At, licet ultrò concedamus, minimè probandum fore, si hujusmodi resignationes in excessivum numerum excrescerent, iisdemque, nullo præmisso conditionum, ac causarum examine, nullo personarum habito delectu, aditus patefieret, facile tamen evincere possumus, resignationes ipsas, & coadjutorum deputaciones, proficuas, & necessarias esse, quoties intra congruum numerum consistent, nec aliter admittantur, quam cum ex prævia accurata discussione constiterit, nullam ex requisitis causis & conditionibus desiderari; qui planè stylyus est quem Apostolica Sedes servare consuevit; eisdemque ostendere possumus nec Juri Canonico, nec Tridentini

Concilii decretis adversari.

XIV. Resignatio in favorem, vel favore certæ personæ, illa dicitur, qua Parochus, Canonicus, vel alius quilibet Beneficiarius, suum Beneficium in Superioris manus dimittit, eo tamen animo, & expressa conditione adjecta, ut Parochia, Canonicatus, Beneficiumve dimissum, certæ designatæ personæ conferantur; adeo quidem, ut si Superior alteri, quam designatæ personæ, Beneficium conferret, irritus planè esset collationis actus, juxta Glossam in *cap. Olim, il primo, verb. Traditam, de restit. spoliator.* Quam in rem plurimum confert textus in *cap. Cum universorum, de rer. permut.* in quo hæc proponitur facti species. Duo Præbendam obtinentes; non implorata Superioris auctoritate, inter se egerant, ac convenerant de propriis Præbendis sibi mutuò transferendis, ac permutandis; cum autem alter Præbendam alterius jam consecutus, suam ipse, non in alterum illum, sed contra initam conventionem, in tertiam extraneam personam transtulisset, pronuntiat Pontifex, eum, qui contra jus, & privata auctoritate, Præbendam suam alteri resignaverat, ea carere non debere, sed posse illam repetere, propterea quod deceptus fuerit, dum conditionem resignationi adjectam alter implere detrectavit. Superior autem, penes quem potestas est admittendi hæc resignationes pactionatas, & in favorem, unus est Romanus Pontifex; cum enim illæ adversentur litteræ, & positiva sanctioni Juris scripti in *can. Plerique, 8. quæst. 1.* consequitur, privatam hanc auctoritatem esse Romani Pontificis; quippè qui unus positivo Juri supereminet, &, quoties opus est, Jus ipsum relaxare potest, juxta *cap. Significasti, de elect. & cap. Proposuit, de concess. præbendæ.*

XV. Adversus hujusmodi Beneficiorum dimissiones favore certæ personæ, non solum anteactis, sed nostris quoque temporibus, plures cumulantur querelæ. Dicunt enim aliqui, dum hisce resignationibus locus reliquitur in Parochialibus Beneficiis, è medio tolli concursum à Concilio Tridentino præscriptum; subdunt, fieri exinde, ut ad Parochiales, Canonici, & reliqua Beneficia, personæ plerumque immerentes assumantur, inuunt insuper, resignationes ut plurimum dirigi à resignante in personas sibi sanguine junctas, quod speciem quamdam habet hæreditariæ successionis in Ecclesiasticis Beneficiis improbatæ; in dubium denique revocant, an ob inserta pacta & conventiones, actus ab omni simoniæ suspitione immunis pronuntiari possit.

XVI. At contrà, si æquioribus oculis percurratur nimia frequentia casuum, quibus Parochi, Canonici, vel Beneficarii, ex contracto morbo, vel ob ingravescentem ætatem, inhabiles efficiuntur; si perpendatur animo, nonnumquam, quæ humana imbecillitas est, reperiri Parochos, & Canonicos opportuna litterarum scientia destitutos; si seriò animadvertatur, indicatum à Jure remedium adjungendi Sacerdotem adiutorem senescentibus, & mala valetudine affectis, non semper in usum redigi, neque per eum urgentibus indigentis plenè consuli posse; si tandem secum quisque perpendat, facile quidem esse proponere, ut illiteratus Parochus à Parochiali officio removeatur, eidemque substituat idoneus Vicarius; at id ipsa perficere, non adeo facilè, vel saltem non nisi post diuturnas lites & perturbationes obtineri posse, cum cæterò quin paratum opportunumque suppetat remedium ex resignatione, quam sæpè Parochus in favorem personæ

sibi acceptæ libenter exhibet, quin immò sibi permitti enixè postulat; cequis erit unquam, qui receptam disciplinam, sive morem carpere jure possit? uti satis prudenter observat Redingius in *Historia Concilii Tridentini sess. 24. tom. 4. pag. 363.*

XVII. Si autem hæ rationes in una veluti lancis parte appendantur, in altera verò statuuntur, quæ superius objectæ fuerunt; nullo negotio posteriores prioribus præponderare dignoscuntur. Insuper unicuique ex oppositis rationibus non deest peculiaris, & satis firma responsio. Et primò quidem asserebatur, per resignationes Parochialium favore certæ personæ, tolli saluberrimam concursus disciplinam. At hæc satis valida haberi posset objectio, si omnes, vel saltem pleræque Parochialium, prævia resignatione, conferrentur; secus verò, dum perpauce, & insuper peculiaribus urgentibus causis, Parochialium resignationes recipiuntur. Quilibet Episcopus potest hoc sibi perspectum efficere, modò diocesis suæ Parochias recenseat, & quæ per concursum, quæ per resignationem collatæ comperiuntur, enumeret; perspiciet enim numerum Parochialium, quibus servata concursus forma præpositus fuit Parochus, longè superexcedere exiguum illum Parochiarum numerum, quæ resignatariis fuerunt concessæ. Asserebatur secundo loco, ex invecitis resignationibus consequi, ut Ecclesiastica Beneficia in immeritas personas conferantur. Verùm, præterquamquod reponi posset, id ipsum sæpè etiam usuvenire, dum, prævio solemnibus concursu, liberè Rectores seliguntur, cum hominis non sit omnia inspicere, atque prospicere; in omnimodam propositæ objectionis eliminationem mox infra subjicietur methodus, quæ in admittendis resig-

na-

nationibus observatur, ut inde dignosci valeat, an quicquam intactum relictum fuerit, quo dignis pateat, indignis ostium occludatur; quod sanè quilibet rei perspicuitate compulsus, id ita esse, fatebitur; &, si secus quandoquæ contingat, id minimè collatoris culpæ adscribendum esse. Tertio loco proponebatur animadversio, resignationes, de quibus sermo est, inter consanguineos plerumque celebrari, quod speciem quamdam damnatæ per sacros canones hæreditariæ successionis in Beneficiis Ecclesiasticis præsefert. In primis autem animadverti, & illud poterat, plurima extare resignationum exempla, quibus, non in consanguineos, vel affines, sed in extraneos plane Beneficia fuerunt translata, deinde æquiori animo perpendi, imaginem illam hæreditariæ successionis penitus abesse, cum nepos, consanguineus, vel affinis, digni, & idonei comperiuntur, eoque casu nihil obstare, quominus Beneficia illis resignari valeant. Lupus Ferrariensis in *epist. 73.* Archiepiscopum Senonensem exoravit, ut cuidam Parocho, qui ob hebetiorem oculorum aciem suo muneri satisfacere non poterat, virum emeritum, illius propinquum, substitueret: *Peto, ut, ad supplicationem Gerohaldi Presbyteri, N. Diaconum, ejus propinquum, in ipsius titulo dignemini ordinare, quoniam difficultate visus frequenter non sufficit sacerdotale munus implere.* Hinemarus Remensis, hoc nomine accusatus, quod nepotem suum in Episcopum Laudunensem ordinasset, objectam accusationem ita retulit: *Reputatur etiam mihi, quod te nepotem meum gratia propinquitatis Episcopum ordinaverim, quasi non & alii per me sint ordinati Episcopi, qui non sunt mihi carne propinqui; & nolunt attendere mihi, hoc reputantes, quia non impedit ad quemquam ordinandum*

Tom. II.

carnis propinquitas, si ordinandus fuerit electus, & peritus secundum Ecclesiasticas regulas. Flodoardus quoque in *Historia* hæc de se ipso commemorat: *Ego verò fractus ætate, & attritus infirmitate, ministerio me abdicavi Prælatuæ coram eodem Præsule, qui me ab hoc absolvens, imposuit illud Flodoardo nepoti meo, septuagesimo ætatis meæ anno.* Insuper quicumque in rerum usu aliquantò versatus sit, perfacilè testari poterit, consuevisse Deum Optimum Maximum etiam ex hoc humano in carnem, & sanguinem affectu utilitatem, & non exigua commoda in suam Ecclesiam derivare. Beneficiarius quippè, qui consanguineum in Beneficio sibi successorem exoptat, in id curam studiumque suum impendit, ut illum bonis moribus imbutum, scientiaque instructum, proposito honore dignum exhibeat; Ecclesiam quoque, ejusque bona, & ædificia, sacra tecta servare non negligit, ut expensarum incommoda expectato sibi successori subeunda non relinquat. Quarto tandem ac postremo loco concludebatur, resignationes ejusmodi adnexas semper habere conventiones, pacta, conditiones; ut non temerè in suspitionem simoniæ labis venire judicentur. At, cum recensitis pactis, & conditionibus id tantummodò caveatur, ut dimissum Beneficium transferatur in designatam personam, aut ad summum ut à resignatario certa aliqua pensio dimittenti quotannis persolvatur, numquam affirmare licebit, hujusmodi resignationum actus simonia Divino Jure proscripta infici; sed, si quod vitium inest, fatendum erit, id Juri Ecclesiastico positivo dumtaxat adversari, ejusque censura damnatum esse; juxta doctrinam Glossæ in *cap. Ex parte, il primo, de officio Judicis delegat & in c. Cum pridem, verb. Illicitæ pactionis speciem, t. de pactis.* Ex quo illud porro

O 3

con-